

clarare eleemosynas offerentibus quanto tempore necesse habeant differre celebrationem missarum. Ita enim nullo latenus defraudabitur intentio fidelium eleemosynas praedictas offerentium.

4. In ultimo §. privatio vocis activae et passivae, omissio officiorum et inhabilitas ad eadem iterum obtinendi est poena fere gravissima, quae infligi non posset Regularibus, mulcta vero vigintiquinque scutorum est poena levis respective sacerdotum saecularium praesertim si habeant redditus non adeo tenues: videtur igitur poenas imponendas utriusque generis sacerdotibus ad aequalitatem reducendas, ut ubi par est culpa, par etiam sit poena, ut esset exempli gratia inclusio in carcere etc. aliquot dies pro Regularibus aut flagillationes et jejunia, quae utpote leviores quam praefata privatio vocis activae et passivae amissio et inhabilitas magis correspondent mulctae 25 scut. impositae saecularibus pro singulis transgressionibus. Adoque eidem privatio, amissio et inhabilitas non solum est gravis poena respective ad singulos Regulares, sed etiam vergit in grave damnum totius religionis, quae non poterit uti hominibus aptissimis ad gubernationem et directionem religionis utpote voce activa et passiva privatis ob transgressionem, saepe quidem contingente sed vero admodum culpabile in omissione Missarum, quodquod dabitur ansa subditis accusandi superiores plerumque minus benevisos ut in poena abjectae amissionis a gubernatione et caeteris muneribus arceant.

5. Sacerdotibus tamen culpabiliter omittentibus, sive Regulares sive Saeculares sint, celebrare Missas sive perpetuas sive manuales, possent reservari casus respective Episcopo aut Superiori totius religionis aut Summo Pontifici.

6. Pro omissionibus hactenus se-

quantis recurrendum ad S. Congregationem Concilii et Poenitentiarum, ut hactenus: an etiam admittendae compositiones in S. Congr. Fabricae s. Petri dubitari fortasse posset, quamvis enim certum omnino sit quod de thesauro utpote infinito Ecclesiae possit Pontifex justa de causa defectum quemcumque Missarum celebrandarum pro vivis aut defunctis supplere, possit aliquod onus etiam pecuniarum imponere convertendum in aliquem usum pium etiam fabricae s. Petri, quia tantum haec in eam magnitudinem et magnificentiam exercuit, quam omnes suscipimus. Videri nonnulli poterit consultius et magis ad mentem testatoris aut donatoris, si defectuosi obligentur quantum et quomodo possunt oneri missarum satisfacere et cum ad componere admittuntur, totam pecuniam quam erogant in Missis celebrandis impendant. Quae tamen omnia meliori iudicio submitto.

Ad 1. Itaque considerandum an addenda, minuenda et declaranda supra notata.

Ad 2. Edendum pro toto orbe et pro majori ejusdem Decreti robore et reverentia Bullae Pontificiae inserendum.

Ad 3. Recurrendum, ut hactenus ad S. Congregationem juxta dicta in §. sexto.

*Angelus Alemanus S. J. (Mss. Card. Casan., t. VI. M. p. 62.)*

(Anal. J. P. 1864 p. 980—996.)

*Decretum Clementis PP. XI. de eadem re vd. in art.: Missa (descriptio)*

*Alexander PP. VIII.*

DECRETUM GENERALE.

SSmus D. N. audito me referente tot onera perpetua missarum omittentibus nec non manuales in maxima quantitate quaesitas captantibus et vigesimam earum partem pro obtinenda

compositione et respective condonatione in arca deponentibus, maxime in regno Portugalliae, mandavit duplex confici Decretum tam generale tam particulare pro dicto regno eaque per manus circumferri: quare utriusque exemplar annectitur quanto citius iudicio E. V. corrigendum, praeterquam quoad poenas in decretis contentas et a SSmo nihil demandatas, immo si opus fuerit majores injungendas.

Attamen pro mea tenuitate, ubi justus rigor in futurum praescribitur, videtur in praeteritum consulendum animarum detrimenta, quae in hujusmodi forsitan fraudulenter omissione perdurant, eo in regno Hispaniarum ut subaudi traditione assertae facultatis apostolicae unius Missae sacrificio tamquam veri infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri.

Dignentur Eminentiae Vestrae notulas reformationis decretorum transmitti ad Secretarium Concilii SSmo Domino Nostro referendas.

Cum nihil magis in Ecclesia Dei noceat quam qui opus Dei negligenter agens nomen vel ordinem Sanctitatis et Sacerdotis habet, cujus culpa in exemplum vehementer extendit, quando pro reverentia ordinis in eadem maxime et in dies confovetur. Conquaerentibus itaque Christifidelibus de ordine sacerdotali tam saeculari quam regulari, perpetuis non adimpletis et magna quantitate manualibus missis acceptis, confisam a piis largitoribus et demandatam celebrationem missarum suarum omittente, ut in posterum tutius et securius procedendum sit in re tam gravi pro animarum suffragio neglecta sub irrationabili et malitiosa quorundam spe condonationem a Sede apostolica seu a R. Fabrica compositionem habendi, et ut abusus hujusmodi, quotquot hucusque irrepserint, evellantur, proinde S. Congr. Emmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini inter-

pretum etiam auctoritate SSmi D. divina providentia Papae Alexandri VIII. omnibus et singulis Episcopis, Generalibus cujuscumque ordinis vel instituti, etiam Societatis Jesu, Commissariis ac Praesidentibus cujuscumque ordinis Regularium, Congregationis vel instituti distincte mandat ac praecipit, quatenus pro eorum debito munere sedulo incumbant et exequantur decreta hujus S. Congregationis de celebrat. missarum sa. me. Urbani VIII. auctoritate edita 21. Junii 1625 et exequi faciant ab omnibus et singulis Sacerdotibus saecularibus et respective Ministris provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus ac Religiosis Monasteriorum, Conventuum ac Domorum regularis cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti ubique terrarum existentium, ut tabellam onerum in ecclesiis exponant et exponi faciant dietaque onera missarum perpetua prius adimpleant, antequam manualia impares suscipiant, singulis annis de adimplimento in Capitulis conventualibus quibuscumque rationem reddant redditamque ad S. Congregationem transmittant sub poena in casu omissionis et non adimplenti suspensionis ipso facto incurrenda a quibuscumque et singulis, SSmo D. N. reservata nec occasione cujuscumque jubilei dimittenda, nec Superioribus localibus Regularium privationis vocis activae et passivae, depositionis ab officio aliis poenis arbitrio injungendum.

Ne autem praesens decretum obsolescat neve ullo unquam tempore ejus ignorantia praetendi valeat, mandat eadem S. Congr. illud inseri et aservari in libris constitutionum cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti et quotannis legi in singulis Parochiis et Monasteriis, declarando ulterius, quod notificatio praesentis decreti superioribus de praesenti exi-



stentibus semel facta liget omnes et quoscumque eorum successores sub eisdem poenis, ut supra contentis, aequae ac si ipsis successoribus personaliter ac legitime fuisset intimatum.

*Minuta decreti in causa Portugall. celebr. Miss.*

Planctu ecclesiae ac ejulatu fidelium innotuit Sedi apostolicae abusus, quo saepius in isto regno tam catholico neglectis perpetuis missarum oneribus profusiores in dies eleemosynae manuales recipiuntur, quinimo surripiuntur in fraudem suffragii animarum, relicta ex his vigesima parte pro quolibet centenario, quae in arca ad id designata callide deponatur ad effectum malitiosae compositionis a R. Fabrica extorquendae, quam et quas utique facultatem admittendi habet, cum solita tamen clausula, *dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem*, alias nullo modo gratia suffragetur prout suffragari non potest nec debet. S. Congregatio, facto verbo cum SSmo, censuit scribendum Nuncio apostolico Portugall. *eique injungendum*, ut quoscumque tam Regulares quam Saeculares inquirat, visitet, cogat ad satisfactionem in praeteritum, eorumdem tabellam in ecclesiis exponi, singulis annis in Conventibus capitularibus legi, de his omnibus rationem reddi, eidem Nuncio exhibendi et transmittendi, praedictam capsam sive arcam aboleri, compositiones hujusmodi interdicti, quae non fuerint factae monasteriis et aliis locis piis tamquam haeredibus vel legetariis institutis, manuales in libro sacristiae describi et si quae receptae fuerint ab uno quoque religioso, Superiori Conventus notificari, districtius mandet et praecipiat sub interminatione praecepti divini poenisque suspensionis ipso facto incurrendis, privationis vocis activae et passivae,

inhabilitatis ad confessiones et aliis ad formam et tenorem Decreti generalis de mandato SSmi emanati sub die.....

Per manus Emmorum DD. Card. Panciatiei, Casanate, Marescotti, De Aguirre et Spinulae.

Ricevuta ai 8. Luglio 1690.

(Anal. J. P. 1864 p. 1019.)

*Annotationes Secretarii.*

Cum alias fel. record. Alexander VIII., me referente, acceperit, Episcopis et Christifidelibus ad S. Congregationem pro opportuno remedio recurrentibus, tot onera perpetua missarum omitti, tot interim eleemosynas manuales expiscari, quinimo in regno Portugalliae ex his in notabili quantitate emunctis detractam vigesimam partem pro quolibet centenario in quadam arca ad id destinata deponi ad effectum compositionis obtinendae cum Rev. Fabrica sive magis de non celebratis et surreptis obtinendae condonationis, inunctum fuit duplex efformari Decretum particulare pro dicto regno et generale pro omnibus, quorum exemplar adnectitur, EE. VV. judicio et providentia in re tam gravi alias subjectam et in hanc formam redactam, denegata tamen ex oraculo Sanctitatis Suae die 5. Januarii 1690 Episcopis in Regulares facultate inquirendi de delata poena suspensionis ipso facto, nec non de voto, de mandato SSmi, audientia habita die 18. Februarii proximi praeteriti, subjiciendum Emmis Carpineo, Casanate, Mariscotto, Coredo, s. Clementis, Noris, Sfondrato et Sacripanti praefecto ad effectum publicationis Bullae sive Brevis prout magis expedire videbitur.

Attamen pro mea tenuitate, ubi justus rigor in futurum praescribitur, videbitur in praeteritum consulendum animarum detrimento, quae in hujusmodi forsitan fraudulenta omissione

perdurant, ea in illis et finitimis regionibus, ut subaudi traditione assertae facultatis apostolicae sive opinione unius missae sacrificio tumquam veri infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri.

Die 13. Martii 1696.

*In Congr. particulari EE. DD. CC. Carpineo, Casanate, Mariscotti, Coloredi, s. Clementis, Sacripanti, Sfondrati et Noricii.*

*Minuta decreti generalis.*

Conquerentibus Christifidelibus de quamplurimis a Clero tam saeculari quam regulari, qui onera perpetua missarum jam diu legitime acceptata omittant ac majora in dies manualia ex tot eleemosynis quaesita recipiant, nec recepta adimpleant sub irrationabili et malitiosa spe condonationem a Sede apostolica sive compositionem a Rev. Fabrica consequendi, ut in re tam gravi procedendum sit, S. Congregatio Eminentissimorum etc. de ordine SSmi ad effectum hujusmodi abusus, quotquot irreperint, evellendi et radicitus quantum fieri potest extirpandi, omnibus et singulis Episcopis, Generalibus, Commissariis ac Praesidentibus cujuscumque Ordinum regularium, Congregationis vel instituti districte mandat et praecipit, quatenus pro eorum munere sedulo curent decreta dictae S. Congregationis sa. me. Urbani VIII. auctoritate edita 11. Julii 1627 in calce praesentis decreti annectenda ab omnibus et quibuscumque Rectoribus Ecclesiarum saecularium, Cathedralium, Capitulis, Collegiatis, Gubernatoribus confraternitatum Generalis ordinum et respective Ministris provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis aliisque quomodolibet nuncupatis Superioribus Monasteriorum, Conventuum ac Domorum regularium cujuscumque

ordinis s. Joannis Hierosolymitani ubique terrarum existen., *super quibus Episcopi uti apostolicae Sedis delegati cumulative cum Nunciis apostolicis inquirant, etiam contra Regulares super celebratione et applicatione missarum, de quibus in earundem ecclesiarum status relationibus super adimplimento sive omissione S. C. certiovent, et Regulares non possint promoveri ad quodcumque ordinis officium nec gradum, nisi de dicto adimplimento onerum tam perpetuorum quam manualium liquido constare fecerint ideoque ad praemissa in Domino utiliter peragenda omnes et singuli praedicta tabellam onerum perpetuorum in loco magis patenti et obvio literis perspicuis ac intelligibilibus descriptorum in quibuscumque ecclesiis exponere et exponi faciant, quibus si numerus sacerdotum ad satisfaciendum consuetas non officiat, exprimere debeant in dicta tabella sese ad manualia recipienda impares esse et manualia ipsa recipere non valeant neque per se neque per interpositas personas, et dd. onerum manualium librum in sacristia asservere, dietim a quocumque celebrante adnotari et Superioris manu in fine cujusque anni de celebratione testantis subscribere teneantur, praevia jurata declaratione de non receptis manualibus per se neque per alios praeter descripta in dicto libro ac de adimplimento docere, singulis annis rationem reddere redditamque ad S. Congregationem transmittere et non casu et casibus praedictis et singulis conventionis sub poena suspensionis ipso facto a quibuscumque transgressoribus singula praedicta non adimplentibus incurrenda huic S. Congregationi reservata nec occasione jubilaei sive in vim Bullae cruciatae non relaxanda et injuncta Superioribus generalibus, provincialibus et localibus Regularium ipso facto poena privationis vocis ac-*



tivae et passivae, depositionis ab officio aliisque arbitrio pariter incurrendis.

Ne autem contra praesentis decreti formam et tenorem ullo unquam tempore ignorantia allegari valeat, eadem Sacra Congregatio mandat illud de verbo ad verbum inseri et inscribi libris constitutionum cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti et libros per Parochos et Ministros cujuscumque ecclesiae tam Saeculares quam Regulares pro adnotatione manualium retinendos, quos omnino retinere teneantur sub poenis in omnibus et singulis praedictis casibus incurrendis et quotannis legi in die Epiphaniae D. N. Jesu Christi et Assumptionis B. V. M., tam in singulis Parochiis et Ecclesiis quam Monasteriis, convocatis omnibus ad sonitum campanae Regularibus, ne praetextu cujuscumque ignorantiae hujusmodi decreti excusationem obtendere possint, praevia declaratione quod notificatio Superioribus de praesenti existens semel facta liget omnes et quoscumque eorum successores sub eisdem poenis ut supra contentis ac si ipsis successoribus personaliter ac legitime fuisset intimatum praesens decretum et in omnibus et singulis praedictis casibus contravenientes nec absolvi nec ad officia ac honores religionum admitti et reintegrari valeant, priusquam ab hac S. Congregatione beneficium absolutiois et respective rehabilitationis consequantur.

(*Mss. du Card. Casanate*, t. VI. p. 461.)

*Minuta decreti particularis.*

Innotuit Sedi apostolicae abusus, quo saepius a quibusdam in isto regno neglectis perpetuis missarum oneribus profusiores in dies eleemosynae recipiantur, quinimmo surripiantur in fraudem suffragii animarum, sub eo et quaesito colore quod detracta ex his

vigesima pars pro quolibet centenari in arca ad id designata deponatur pro componendo cum R. Fabrica, quae licet utens facultate sibi legitime competendi compositiones admittat, easdem tamen non admittit, nisi cum clausula „dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias nullo modo gratia suffragetur prout eisdem hac intentione impetrantibus suffragari non potest nec debet“. Hinc S. Congregatio etc. approbante SSmo D. N. Innocentio providentia PP. XII. censuit dandas esse literas Nuncio apostolico Portugallens. eique serio injungendum, ut quoscumque tam Saeculares quam Regulares super praemissis inquirat, visitet et cogat juris remediis ad integram satisfactionem onerum in praeteritum, non admissa ad hunc effectum opinione tenentium unius missae sacrificio tamquam infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri, et in futurum eorumdem tabellam in ecclesiis exponi faciat, quae singulis annis in Conventu capitulariter legi debeat, et de celebratis rationem reddi coram deputatis, qui merita vocalium disquirunt, ac reperiunt in culpa non adimpleti, ad quos spectare contigerit, a vocis activae vel passivae beneficio omnino excludat et pro exclusis ipso jure habeantur redditamque rationem Nuncio apostolico exhibitam esse. Nuncius transmittat ad hanc S. Congregationem; praedictam vero capsam sive praefatam arcam aboleri ipso facto mandet, compositiones hujusmodi affectatas et seclusa via interdicat et juxta decretum S. M. Innocent. XI., quas a Monasteriis et aliis Locis piis peti contingat, prohibeat nisi fuerint d. Monasteria et Loca pia haeredes vel legatarii ex testamento instituta; manuales insuper receptas vel ab ipsis nominari recusantibus in libro sacristiae adnotari et si quae receptae fuerint ab unoquoque

religioso Superiori Conventus revelari districtius praecipiat sub interminatione judicii divini contra quoscumque et qualitercumque clam recipientes ac in praemissis singulis transgressores poenis suspensionis ipso facto incurrendis et respective privationis dictae vocis activae et passivae, inhabilitationis ad confessiones et officia aliisque arbitrio S. C. ad formam et tenorem Decreti generalis de mandato SSmi emanati sub die . . . . . obnoxios esse decernat. (*Mss. du Card. Casanate*, t. VI. p. 460.)

*Innocentius PP. XII.*

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Alias super celebratione Missarum ac prohibitionem illas moderandi seu reducendi absque Sedis apostolicae licentia nec non supra earundem oneribus perpetuis suscipiendis et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis:

(*Hoc Decretum Urbani VIII. vd. supra pag. 152.*)

Cum autem supra praemissis diversi irrepserint abusus illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum hujusmodi detestabiles abusus a christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus ac emendata negligentia piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum

animabus integra et prompta praestentur suffragia itidemque Dei major gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur praevia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata et postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita et examinata redidit.

In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis, penitus observari et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

Insuper, uti in re tanti momenti consultius ac majori, ut par est, circumspectione procedatur: si qui forsitan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes Missarum celebrationem omittant sub malitiosa vel irrationabili spe, earundem condonationem a Sede apostolica vel compositionem a Reverenda Fabrica s. Petri de Urbe obtinendi, Congregatio praefata tum eosdem tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede, non nisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis et praesertim cum illa: dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, gratia nullo modo suffragetur, admitti



consuevisse et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praeccludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in aliam quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas illasque omnino reprobat, damnat et interdicat.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli Rectores, Superiores et Ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium Ecclesiarum seu illarum Capitula, ne onera seu Missas, tam perpetuas tum temporales tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quomodo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium literis perspicuis et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter et intra praescriptum, sed breve tempus, satisfacere non posse seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas sive temporales sive manuales, per se vel interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant et ulterius tali casu in eadem tabella similiter expriment, sese propterea aliis Missis acceptandis et celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacratio duos libros retinere ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte

ac diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere ac omnes et singulas rationes hujusmodi praefatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam praefati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

Quibus semper salvis debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas, tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera penes alium a Capitulo conventuali deputandum retineatur ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram Patribus discretis seu Consiliariis vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint et Superiores tum saecularium tum regularium Ecclesiarum rationem praedictam non exegerint seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, non satisfaciant in singulis respective casibus, Saeculares poenam suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, passiva ac gradibus et officiis obtinenda similiter inhabilitentur et inhabilitati sint et intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores seu Capitula Ecclesiarum saecularium illa retineant

publice exposita in eorum Sacratio; Superiores vero locales cujuscumque Monasterii, Conventus ac Domus regularis curare et efficere teneantur sub poena privationis officiorum, quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes, una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in Ecclesiis quoquo modo, etiam in vim Decretorum Concilii Trid. sibi subjectis, Missae ea, quae par est, fide et diligentia celebrentur et cuncta et singula Decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam requirentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus tum in aliis actibus et modis, quos expedire et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, disseratur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares tum subditi cum Superiores quicumque, nedum locales sed etiam provinciales et generales, ne Missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praepudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligentur seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem poenam privationis vocis activae et passivae ac graduum et officiorum, quae obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

Curent propterea praefati superiores Regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli Superiores locales in provincialibus Capitulis seu Congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii seu cujuscumque Domus regularis subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis, tum perpetuis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus ad limites et tenorem horum praesentium decretorum tempore regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum, distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri et ea adjecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis Capitulis seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Praeterea Provinciales, Vicarii, Visitatores Provinciarum seu Congregationum debent in fine eorum regiminis Superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint et ad eorum tenorem in omnibus et singulis Conventibus seu Monasteriis vel Domibus regularibus Provinciae seu Congregationis, de omnibus et singulis oneribus et obligationibus ac insimul satisfactionibus Missarum exactam et diligentem rationem exegerint ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint et de adimplemento circa ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad vocem activam et passivam in



Capitulis generalibus nullatenus admittantur.

Caeterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria et Ecclesias ac alia loca et opera pia, quomodolibet nuncupata, quae cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis et praecminentiae, etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat vel quorumque Ecclesiasticorum et Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis Missarum sive manualium sive ad tempus vel in perpetuum pertinent, hinc salvis semper iis, quae in praesertis decretis continentur, omnes et quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum et Ecclesiarum ac aliorum locorum et Operum piorum Rectores seu Administratores vel Directores et alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemis- sis spectat, tabellam, libros et haec decreta respective juxta modos superius expressos similiter retinere, nec non de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio et in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis, cujuscumque Ordinis, Status, Gradus, Regulae, Congregationis, Societatis, Conditionis et Dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore ac potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenis in hujusmodi decretis relaxandi seu quoquomodo circa prae-

missa dispensandi omnis et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia et singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis in favorem quorumcumque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, Militiarum, etiam s. Joannis Hierosolymitani.

Datum Romae die 23. Nov. 1697.

Joseph. Card. Sacripantes, Praef.  
Ferdinandus Nuptius S. C. Secr.

Quocirca cum dilectus filius noster Joseph. tituli s. Mariae Transpontinae, S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata Decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia et singula Decreta, ea, quae decet, maturitate digesta et examinata ac in vim apostolicae Auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut praefertur, attributae, peracta, perutilia fore censentes illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostrae munimine roborare volentes: motu proprio, non ad cujuspiam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine praesertim Decreta omniaque et singula in eis contenta tenore praesentium auctoritate apostolica confirmamus et approbamus illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robor et efficaciam adjicimus: quinimo motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine omnia et singula in supra- dictis Decretis contenta de novo statuimus, decernimus et ordinamus ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individua nota dignis, omnino exacte et perpetuo servari volumus et mandamus.

Decernentes praesentes literas cum

omnibus et singulis inibi contentis semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia, plenissime et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeceminentia aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum Palatii apostolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Sedis apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. et respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quae pariter et iterum Nos tenore praesentium non obstare decernimus et mandamus: quibus omnibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes literae in Valvis Ecclesiae Lateranensis ac Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in monte Citorio ac in Aede Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et efficiant ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.

Pariterque, ut earumdem praesen-

tium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum et Derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo, decimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri anno septimo.

(Anal. J. P. 1864 p. 1022—1029.)

Eleemosynae pro missis celebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, ubi iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerent. Missae ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiae traditae non sunt celebrandae per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiae. S. Congr. Rit. 28. Januarii 1606. Et S. Congr. Conc. 5. Septembris 1616; 19. Novembris 1726; 13. Jan. 1732 et 12. Maii 1736.

2) Num acceptatio licita sit parcho in iisdem diebus, in quibus applicare debet pro populo?

Vd.: *Stipend. pro missa pro populo.*

3) Utrum, quando et quomodo augenda?

Civitatis Castellanae.

In postrema relatione status ecclesiae suae haec habet Episcopus: